

Numquid considerasti latitudinem terræ? indica mihi, si nosti, omnia, in qua via lux habitet, & tenebrarum quis locus sit: Ut ducas unumquodque ad terminos suos, & intelligas semitas domus ejus.

R. Quare detraxistis sermonibus veritatis: ad increpandum verba componitis, & subvertete nitimini amicum vestrum? **V.** Veritatem quam cogitastis, explete. **V.** Quod iustum est, iudicâte, & non inveniatis in lingua mea iniquitatem. Veritatem. Gloria Patri. Veritatem.

F E R I A S E X T A.

De libro Job.

Lectio j.

Cap. 40.

R. Espôndens autem Dôminus Job de turbine, dixit: Accinge sicut vir lumbos tuos: interrogabo te: & indica mihi. Numquid irritum facies iudicium meum: & condemnabis me, ut tu justificeris? Et si habes brachium sicut Deus, & si voce similis tonas? Circûda tibi decorem, & in sublime erigere, & esto gloriosus, & speciosus induere vêtibus.

R. Indata est caro mea putredine & sordibus pulveris, cutis mea aruit, & contracta est: **V.** Meménto mei Dômine, quoniam ventus est vita mea. **V.** Dies mei velocius transierunt, quam à texente tela succiditur, & consumpti sunt absque ulla spe. Meménto.

Lectio ij.

D. Isperge superbos in furoré tuo, & respiciens omnem arrogantem humilia. Respice cunctos superbos, & confunde eos, & cõttere impios in loco suo. Abscõde eos in pulvere simul, & facies eorum demerge in foveam: Et ego confitebor quod salvare te possit dextera tua. Ecce, Behemoth, quem feci tecum, fœnum quasi bos comedet: Fortitudo ejus in lumbis ejus, & virtus illius in umbilico ventris ejus.

R. Pãucitas dierum meorum finietur brevi: dimitte me Dômine, ut plangam paululum dolorem meum.

V. Antequam vadam ad terram tenebrösam, & operam mortis caligine. **V.** Manus tuæ Dômine fecerunt me, & plasmarunt me totum in circuitu, & sic repente præcipitas me? Antequam.

Lectio iij.

Cap. 42.

R. Espôndens autem Job Dômino, dixit: Scio quia omnia potes, & nulla te latet cogitatio. Quis est iste, qui celat consilium absque scientia? Ideo insipienter locutus sum, & quæ ultra modum excæderent scientiam meam. Audi, & ego loquar: interrogabo te, & responde mihi. Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te. Idcirco ipse me reprehendo, & ago penitentiam in favilla & cinere.

R. Non abscondas me Dômine à facie tuæ: manum tuam longè fac à me: **V.** Et formido tua non me terreat. **V.** Corripe me Dômine in misericordia, non in furoré tuo, ne forte ad nihilum redigas me. Et formido. Gloria Patri. Et formido.

S A B B A T O.

De libro Job.

Lectio j.

Cap. 42. b

P. Ostquam autem locutus est Dôminus verba hæc ad Job, dixit ad Eliphaz Themaniten: Iratus est furor meus in te, & in duos amicos tuos, quoniam non estis locuti coram me rectum, sicut servus meus Job. Sumite ergo vobis septem tauros, & septem arietes, & ite ad servum meum Job, & offerte holocaustum pro vobis: Job autem servus meus orabit pro vobis: faciem ejus suscipiam ut non vobis imputetur stultitia: neque enim locuti estis ad me recta, sicut servus meus Job.

R. Quis mihi tribuat ut in inferno pro-

protegas me, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus Dômine, nisi tu, qui solus es Deus? **V.** Et constitutus mihi tempus, in quo recorderis mei. **V.** Numquid sicut dies hominis, dies tui, ut quæras iniquitatem meam; cum sit nemo, qui de manu tua possit erigere? Et i.

Lectio ij.

A. Biérunt ergo Eliphaz Themanites, & Baldad Suhites, & Sophar Naamathites, & fecerunt sicut locutus fuerat Dôminus ad eos, & suscepit Dôminus faciem Job. Dôminus quoque conversus est ad penitentiam Job, cum oraret ille pro amicis suis. Et addidit Dôminus omnia quæcumque fuerant Job, duplicata. Venérunt autem ad eum omnes fratres sui, & univærse sorores suæ, & comederunt cum eo panem in domo ejus: & moverunt super eum caput, & consolati sunt eum super omni malo, quod intulerat Dôminus super eum: & dedérunt ei unusquisque ovem unam, & inaurum auream unam.

R. Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, **V.** Et calamitas quam patior, in statéra. **V.** Quasi arena maris hæc gravior appareret, undè & verba mea dolere sunt plena. Et.

Lectio iij.

D. Ominis autem benedixit novissimis Job magis quam principio ejus. Et facta sunt ei quatuordecim millia ovium, & sex millia camelorum, & mille juga boum, & mille asinæ. Et fuerunt ei septem filii, & tres filiæ. Et vocavit nomen unius Diem, & nomen secundæ Cassiam, & nomen tertie Cornustibi, non sunt autem inventæ mulieres speciosæ sicut filie Job in universa terra: deditque eis pater suus hereditatem inter fratres earum. Vixit autem Job post hæc, centum

quadraginta annis, & vidit filios suos, & filios filiorum suorum, usque ad quartam generationem, & mortuus est senex, & plenus dierum.

R. Quare detraxistis sermonibus veritatis: ad increpandum verba componitis, & subvertete nitimini amicum vestrum? **V.** Veritatem quam cogitastis, explete. **V.** Quod iustum est, iudicâte; & non inveniatis in lingua mea iniquitatem. Veritatem. Gloria Patri. Veritatem.

S A B B A T O

Ante Dominicam iij. Septembris.

Ad Magnificat, Antiphona.

Ne reminiscaris Dômine delicta mea, vel paréntum meorum: neque vindictam sumas de peccatis meis.

D O M I N I C A I I I.

Septembris.

In primo Nocturno.

Incipit liber Tobie.

Lectio j.

Cap. 1.

T. Obias ex tribu, & civitate Néphthali (quæ est in superioribus Galilææ supra Naasson, post viam, quæ ducit ad Occidentem, in sinistro habens civitatem Sephet) cum captus esset in diebus Salmanasar regis Assyriorum, in captivitate tamen positus, viam veritatis non deseruit, ita ut omnia, quæ habere poterat, quotidie conceptivis fratribus, qui erant ex ejus genere, imperitiret. Cumque esset junior omnibus in tribu Néphthali, nihil tamen puerile gessit in opere.

R. Peto Dômine, ut de vinculo improperii hujus absolvas me, aut certe desuper terram eripias me: **V.** Ne reminiscaris delicta mea, vel paréntum meorum, neque vindictam sumas de peccatis meis: quia æruis suscipiente te Dômine. **V.** Omnia enim judicia tua iusta sunt, & omnes viæ tuæ misericordia & veritas: & nunc Dômine meménto mei. Ne reminiscaris.

Lec-

Lectio ij.

Denique cum irent omnes ad vitulos aureos, quos Jeroboam fecerat rex Israel, hic solus fugiebat consortia omnium, sed pergebat in Jerusalem ad templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Israel, omnia primitiva sua, & decimas suas fideliter offerens, ita ut in tertio anno proselytus & advenis ministraret omnem decimationem. Hec & his similia secundum legem Dei puerulus observabat. Cum vero factus esset vir, accepit uxorem Annam de tribu sua, genuitque ex ea filium, nomen suum imponens ei, quem ab infantia timere Deum docuit, & abstinere ab omni peccato.

R. Omni tempore benedic Deum, & pete ab eo ut vias tuas dirigat: Et in omni tempore consilia tua in ipso permaneant. **V.** Inquire ut facias quae placita sunt illi in veritate, & in tota virtute tua. Et.

Lectio iij.

Igitur cum per captivitatem devenisset cum uxore sua, & filio in civitatem Niniven cum omni tribu sua, (cum omnes ederent ex cibis Gentilium) iste custodivit animam suam, & nunquam contaminatus est in escis eorum. Et quoniam memor fuit Domini in toto corde suo, dedit illi Deus gratiam in conspectu Salmanasar regis, & dedit illi potestatem quocumque vellet ire, habens libertatem quaecumque facere voluisset. Pergebat ergo ad omnes, qui erant in captivitate, & monita salutis dabat eis.

R. Memor esto fili: quoniam pauperem vitam gerimus: Habebis multa bona, si timueris Deum. **V.** In mente habeto eum, & cave nequando praetermittas praecepta ejus. Habebis. Gloria Patri. Habebis.

In secundo Nocturno.

Sermo Sacerotis Leonis Papae.

Lectio iv.

Serm. 9. de jejun. vij. mens.

Scio quidem, dilectissimi, plurimos vestrum ita in iis, quae ad observantiam Christianae fidei pertinent, esse devotos, ut nostris cohortationibus non indigeant admoneri. Quod enim dudum & traditio decrevit, & consuetudo firmavit; nec eruditio ignorat, nec pietas praetermittit. Sed quia sacerdotalis officii est, erga omnes Ecclesiae filios curam habere communem, in id quod & rudibus prosit & doctis, quos simul diligimus, pariter incitamus: ut jejunium, quod nobis septimi mensis recursus indicit, fide alacri per castigationem animi & corporis celebremus.

R. Sufficiebat nobis paupertas nostra, ut divitiae computarentur: nunquam fuisset pecunia ipsa, pro qua misisti filium nostrum. **V.** Baculum senectutis nostrae. **V.** Heu me, fili mi, ut quid te misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorum! Baculum.

Lectio v.

Ideo enim ipsa continentiae observantia quatuor est assignata temporibus, ut in id ipsum totius anni redeunte decursu, cognosceremus nos indesinenter purificationibus indigere: semperque esse nitendum, dum hujus vitae varietate jactamur, ut peccatum, quod fragilitate carnis & cupiditatum pollutione contrahitur, jejunii atque elemosynis deleatur. Esuriamus paululum, dilectissimi, & aliquantulum, quod juvandum possit prodesset pauperibus, nostrae consuetudini subtrahamus.

R. Benedicite Deum caeli, & coram omnibus viventibus confitemini ei: Quia fecit vobiscum misericordiam suam. **V.** Ipsum benedicite, & cantate illi: & enarrate omnia mirabilia ejus. Quia fecit.

Lec.

FERIA SECUNDA.

De libro Tobiae.

Lectio vj.

Delectetur conscientia benignorum fructibus largitatis: & gaudia tribuens, quo elatificandus, accipies. Dillectio proximi, dillectio Dei est, qui plenitudinem legis & Prophetarum in hac geminae charitatis unitate constituit: ut nemo ambigeret, Deo se offerre, quod homini contulisset, dicente Domino Salvatore, cum de alendis juvandisque pauperibus loqueretur: Quod uni eorum fecistis, mihi fecistis. Quarta igitur & sexta Feria jejunemus; Sabbato vero apud beatum Petrum Apostolum vigiliis celebremus: cujus nos meritis & orationibus credimus adjuvandos, ut misericordiae Deo jejunio nostro, & devotioni placeamus.

R. Tempus est ut revertar ad eum, qui misit me: Vos autem benedicite Deum, & enarrate omnia mirabilia ejus. **V.** Confitemini ei coram omnibus viventibus, quia fecit vobiscum misericordiam suam. Vos autem. Gloria Patri. Vos.

R. Tribulationes civitatum audivimus, quas passe sunt, & defecimus: timor & hebetudo mentis cecidit super nos, & super liberos nostros: ipsi montes nolunt recipere fugam nostram: Domine miserere. **V.** Peccavimus cum patribus nostris, injuste egimus, iniquitatem fecimus. Domine.

R. Duo Seraphim clamabant alter ad alterum: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth: Plena est omnis terra gloria ejus. **V.** Tres sunt qui testamentum dant in caelo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres unum sunt. Sanctus. Gloria Patri. Plena est.

Infra Hebdomadam, Feria iv. & Sabbato post secundam & tertiam Lectionem dicitur secundum & tertium & primi Nocturni Dominicae.

Lectio ij.

Cap. 2.

Post haec vero, cum esset dies festus Domini, & factum esset praedium bonum in domo Tobiae, dixit filio suo: Vade, & adduc alii quos detribu nostra, timentes Deum, ut epulentur nobiscum. Cumque abisset, reversus nuntiavit ei, unum ex filiis Israel jugulatum jacere in platea. Statimque exiliens de accubitu suo, relinquens praedium, jejunus pervenit ad corpus: tollensque illud, portavit ad domum suam occulte, ut dum sol occubisset, caute sepeliret eum.

R. Peto Domine, ut de vinculo improprietii hujus absolvas me, aut certe desuper terram eripias me: Ne reminiscaris delicta mea, vel parentum meorum, neque vindictam sumas de peccatis meis: quia eruis sustinentes te Domine. **V.** Omnia enim judicia tua justa sunt, & omnes viae tuae misericordia & veritas: & nunc Domine memento mei. Ne reminiscaris.

Lectio iij.

Arguebant autem eum omnes proximi ejus, dicentes: Jam hujus rei causa interfici jussus es, & vix effugisti mortis impetum, & iterum sepelis mortuos? Sed Tobias plus timens Deum, quam regem, rapiet corpora occisorum, & occultabat in domo sua, & mediis noctibus sepeliebat ea. Contigit autem ut quadam die fatigatus a sepultura, veniens in domum suam, jactasset se iuxta parietem, & obdormisset, & ex nido hirundinum dormienti illi calida stercora incidenter super oculos ejus, fieretque caecus. Hanc autem tentationem ideo permisit Dominus venire illi, ut posteris daretur exemplum patientiae ejus, sicut & sancti Job.

R.

R. Omni tempore benedic Deum, & pete ab eo ut vias tuas dirigat: * Et in omni tempore consilia tua in ipso permaneant. **V.** Inquire ut facias quae placita sunt illi in veritate, & in tota virtute tua. Et.

LECTIO IJ.

Nam cum ab infantia sua semper Deum timuerit, & mandata eius custodierit, non est contritatus contra Deum quod plaga caecitatis euenit ei, sed immobilis in Dei timore permansit, agens gratias Deo omnibus diebus vitae suae. Nam sicut beato Job insultabant reges, ita isti parentes & cognati ejus iridebant vitam ejus, dicentes: Ubi est spes tua, pro qua eleemosynas, & sepulchras faciebas? Tobias vero increpabat eos, dicens: Nolite ita loqui: quoniam filii sanctorum sumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo.

R. Memor esto filii, quoniam pauperem vitam gerimus: * Habebis multa bona, si timeris Deum. **V.** In mente habeto eum, & cave nequando praetermittas praeccepta ejus. Habebis. Gloria Patri. Habebis.

FERIA TERTIA.

De libro Tobiae.

LECTIO I. *Cap. 2. c. 3.*

Anna vero uxor ejus ibat ad opus textrinum quotidie, & de labore manuum suarum victum, quem consequi poterat, deferabat. Unde factum est, ut hoc dum caprarum accipiens detulisset domi. Cujus cum vocem balantis vir ejus audisset, dixit: Videte, ne forte furivus sit, reddite eum dominis suis, quia non licet nobis aut edere ex furto aliquid, aut contingere.

R. Sufficiebat nobis paupertas nostra, ut divitiae computarentur: numquam fuisse pecunia ipsa, pro qua misisti filium nostrum: * Baculum

senectutis nostrae. **V.** Heu me filii mi, ut quid te misimus peregrinari, in omni oculorum nostrorum! Baculum.

LECTIO IJ.

Ad haec uxor ejus irata respondit: Manifeste vana facta est spes tua, & eleemosynae tuae modò apparuerunt. Atque his, & aliis hujuscemodi verbis exprobrabat ei. Tunc Tobias ingemuit, & coepit orare cum lacrymis, dicens: Justus es Domine, & omnia judicia tua justa sunt, & omnes viae tuae misericordiae, & veritas, & judicium. Et nunc Domine memor esto mei, & ne vindictam sumas de peccatis meis, neque reminiscaris delicta mea, vel parentum meorum.

R. Benedicite Deum caeli, & coram omnibus viventibus confitemini ei: * Quia fecit vobiscum misericordiam suam. **V.** Ipsum benedicite, & cantate illi: & enarrate omnia mirabilia ejus. Quia fecit.

LECTIO IJ.

Quoniam non obediimus praecceptis tuis, ideo traditi sumus in direptionem, & captivitatem, & mortem, & in fabulam, & in imperium omnibus nationibus, in quibus dispersisti nos. Et nunc Domine magna judicia tua, quia non gerimus secundum praeccepta tua, & non ambulavimus sinceriter coram te. Et nunc Domine secundum voluntatem tuam fac mecum, & praecipe in pace recipi spiritum meum: expedit enim mihi mori magis, quam vivere.

R. Tempus est ut revertar ad eum, qui misit me: * Vos autem benedicite Deum, & enarrate omnia mirabilia ejus. **V.** Confitemini ei coram omnibus viventibus, quia fecit vobiscum misericordiam suam. Vos autem benedicite. Gloria Patri. Vos autem.

FE-

FERIA QUARTA

Quatuor Temporum Septembris.

Lectio sancti Evangelii secundum Marcum.

Lectio j. *Cap. 9. c.*

In illo tempore: Respondens unus de turba, dixit ad Jesum: Magister, attuli filium meum ad te habentem spiritum mutum. Et reliqua. **Homilia venerabilis Bedae Presbyteri.**

Lib. 3. cap. 38. in Marc. 9.

Demoniacum hunc, quem descendens de monte Dominus sanavit, Marcus quidem surdum, mutumque, Matthaeus vero lunaticum fuisse commemorat. Significat autem eos, de quibus scriptum est: Stultus ut luna mutatur. Qui nunquam in eodem statu permanentes, nunc ad haec, nunc ad illa vitia mutati, crescunt atque decrescunt. Qui muti sunt, non confitendo fidem: surdi, nec ipsum aliquatenus veritatis audiendo sermonem. Spumant autem, cum stultitia tabescunt. Stultorum namque, & languentium, atque hebetum est, spumae salivarum ex ore dimittere. Strident dentibus, cum iracundiae furoris flammescunt: ardescunt, cum otio torpente languescunt, & nulla virtutis industria confortati enerviter vivunt.

R. Tribulationes civitatum audivimus, quas passae sunt, & defecimus: timor & hebetudo mentis cecidit super nos, & super liberos nostros: ipsi montes nolunt recipere fugam nostram: * Domine miserere. **V.** Peccavimus cum patribus nostris, injuste egimus, iniquitatem fecimus. Domine.

Lectio ij.

Quod autem ait: Et dixi discipulis tuis ut ejecerent illum, & non potuerunt: latenter Apostolos accusat; cum impossibilitas curandi, interdum non ad imbecillita-

tem curantium, sed ad eorum qui curandi sunt, fidem referatur, dicente Domino: Fiat tibi secundum fidem tuam. Qui respondens eis, dixit: O generatio incredula, quamdiu apud vos ero? quamdiu vos patiar? Non quod taedio superatus sit, mansuetus ac mitis, qui non aperuit sicut agnus coram tondeute os suum, nec in verba furoris erupit: sed quod in similitudinem medici, si agrorum videat contra sua praeccepta se gerere, dicat: Usquequo accedam ad domum tuam? quousque artis meae perdam industriad, me aliud jubente, & te aliud perperante?

R. Omni tempore benedic Deum, & pete ab eo ut vias tuas dirigat: * Et in omni tempore consilia tua in ipso permaneant. **V.** Inquire ut facias quae placita sunt illi in veritate, & in tota virtute tua. Et.

LECTIO IJ.

Et dixit illis: Hoc genus in nullo potest scire, nisi in oratione & jejuniis. Dum docet Apostolos, quomodo daemon nequissimus debeat expelli, omnes instituit ad vitam: ut scilicet noverimus, gravissimam quaeque vel immundorum spirituum, vel hominum tentamenta, jejuniis & orationibus esse superandas: iram quoque Domini, cum in ultionem nostrorum scelerum fuerit accensa, hoc remedio singulari posse placari. Jejunium autem generale est, non solum ab escis, sed a cunctis illicebis abstinere carnalibus, immo ab omnibus vitiorum continere se passionibus. Sic & oratio generalis non in verbis solum est, quibus divinae clementiam invocamus, verum etiam in omnibus, quae in obsequium nostri Conditoris fidei devotione gerimus.

R. Memor esto filii, quoniam pauperem vitam gerimus: * Habebis mul-

multa bona, si timēris Deum. **¶** In mente habēto eum, & cave nequādo prātermittas prācepta ejus. Habēbis. Gloria Patri. Habēbis.

Ad Benedictus, Antiphona.

Hoc genus dāmoniorū in nullo potest exire, nisi in orationē & jejūno.

Deindē dicuntur Preces, ut in Psalterio. 44.

Oratio.

Misericordiā tuā remēdiis, quāsumus Dōmine, fragilitas nostra subsistat: ut quā sua conditionē atteritur, tuā clemētia reparētur. Per Dōminū nostrum.

Et dicitur per Horas diei tantum.

Ad Vesperas, si fit de Feria, dicuntur Preces feriales, 98. cum Oratione Dominicā prācedentis.

FERIA QUINTA.

De libro Tobiae.

Lectio j.

Cap. 12.

Vocāvit ad se Tobias filium suum, dixitque ei: Quid pōsumus dare viro isti sancto, qui venit tecum? Respondens Tobias, dixit patri suo: Pater quam mercedē dābimus ei? aut quid dignum poterit esse beneficiis ejus? Me duxit & redūxit sanum, pecūniā a Gabelo ipse recepit, uxorem ipse me habere fecit, & dāmonium ab ea ipse compescuit, gāudium parentibus ejus fecit, meipsum a devoratione piscis eripuit, te quoque videre fecit lumen cœli, & bonis omnibus per eum replēti sumus. Quid illi ad hæc poterimus dignum dare? Sed peto te pater mi, ut roges eum, si forte dignabitur medietatem de omnibus quæ allata sunt, sibi assumere.

¶ Peto Dōmine, ut de vinculo improperii huius absolvas me, aut certe dēsuper terram eripias me.

¶ Ne reminiscāris delicta mea, vel parāntum meorum, neque vindictam sumas de peccatis meis: quia

eruis sustinēntes te Dōmine. **¶** Omnia enim judicia tuā justa sunt, & omnes viæ tuæ misericordiā & veritatis: & nunc Dōmine memento mei. Ne.

Lectio ij.

Et vocāntes eum, pater scilicet, & filius, tulerunt eum in partem: & rogare cœperunt ut dignaretur dimidiā partem omnium, quæ attulerant, acceptam habere. Tunc dixit eis occultē: Benedictio Deum cœli, & coram omnibus vivētibz confitemini ei, quia fecit vobiscum misericordiā suam. Etenim sacramentum regis abscondere bonum est: opera autem Dei revelare & confiteri honorificum est. Bona est oratio cum jejūno, & elemosyna magis quā thesauros auri recōdere: quōniam thesauros a morte liberat, & ipsa est, quæ purgat peccāta, & facit invenire misericordiā & vitam æternā. Qui autem faciunt peccātum, & iniquitatem, hostes sunt animæ suæ.

¶ Omni tempore benedic Deum, & pete ab eo ut vias tuas dirigat: **¶** Et in omni tempore consilia tua in ipso permāneant. **¶** Inquire ut facias quæ placita sunt illi in veritate, & in tota virtute tua. Et.

Lectio iij.

Manifesto ergo vobis veritatem, & non abscondam a vobis occultum sermonem. Quando orābas cum lacrymis, & sepeliēbas mortuos, & derelinquēbas prāndium tuum, & mortuos abscondēbas per diem in domo tua, & nocte sepeliēbas eos, ego obtuli orationem tuam Dōmino. Et quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te. Et nunc misit me Dominus ut curārem te, & saram uxorem filii tui a dāmonio liberārem. Ego enim sum Raphael Angelus, unus ex septem, qui astētus ante Dōminum. Cūque hæc audissent, turbati sunt, & tremē-

mēntes ceciderunt super terram in faciem suam. Dixitque eis Angelus: Pax vobis, nolite timere.

¶ Memor esto filii, quōniam pauperem vitam gerimus: **¶** Habēbis multa bona, si timēris Deum. **¶** In mente habēto eum, & cave nequādo prātermittas prācepta ejus. Habēbis. Glōria Patri. Habēbis.

FERIA SEXTA.

Quatuor Temporum.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio j.

Cap. 7. e

In illo tempore: Rogābat Jesus quidam de Pharisæis, ut manducaret cum illo. Et ingressus domum Pharisæi, discubuit. Et reliqua.

Homilia Sancti Gregorii Papæ.

Homil. 33. in Evangelia, post initium.

Quem Pharisæus de falsa justitia præsumens, nisi Judæicum pōpulum; quem peccātrix mulier ad vestigia Dōmini veniens & plorans, nisi conversam Gentilitatem designat? Quæ cum alabastro venit, unguentum fudit, retrō secus pedes Dōmini stetit, lacrymis pedes rigavit, capillis tersit, eosdemque quos infundēbat & tergēbat pedes osculari non desit. Nos ergo, nos illa mulier expressit, si toto corde ad Dōminum post peccāta redeamus, si ejus penitentiæ luctus imitemur. Quid namque unguento, nisi bonæ odor opinionis exprimitur? Undē & Paulus dicit: Christi bonus odor sumus Deo in omni loco.

¶ Sufficiēbat nobis paupertas nostra, ut divitiæ computarentur: nunquam fuisset pecūnia ipsa, pro qua misisti filium nostrum. **¶** Baculum senectutis nostræ. **¶** Heu me, fili mi, ut quid te misimus peregrinari, lumen oculorū nostrorū! Baculum.

Pars Æstiva.

Lectio ij.

Sergo recta opera agimus, quibus opinio bonæ odore Ecclesiæ respargāmus, quid in Dōmini corpore, nisi unguentum fundimus? Sed secus pedes Jesu mulier stetit: contra pedes enim Dōmini stētimus, cum in peccatis pōsiti ejus itinēribz renitebāmur. Sed si ad veram penitentiā post peccāta convertimur, jam retrō secus pedes stamus: quia ejus vestigia sequimur, quem impugnabāmus. Lacrymis mulier pedes ejus rigat: quod nos quoque veraciter agimus, si quibuslibet ultimis membris Dōmini per compassiōnis affectum inclināmur, & sanctis ejus in tribulationē compatiimur, si eorum tristitia, nostram putāmus.

¶ Benedictite Deum cœli, & coram omnibus vivētibz confitemini ei:

¶ Quia fecit vobiscum misericordiā suam. **¶** Ipsum benedicite, & cantate illi: & enarrate omnia mirabilia ejus, quia fecit.

Lectio iij.

Capillis ergo pedes Dōmini tergemus, quando sacris ejus, quibus ex charitate compatiimur, etiā ex his, quæ nobis superfluent, miseremur: quatenus sic mens per compassiōnem dōleat, ut etiā larga manus affectum doloris ostendat. Rigat namque lacrymis Redemptoris pedes, sed capillis suis non tergit, qui utcumque proximorum doleri compatiatur, sed tamen eis ex his, quæ sibi superfluent, non miseretur. Plorat, & non tergit, qui verba quidem doloris tribuit, sed non ministrando quæ desunt, vim doloris minimè abscondit. Osculatur mulier pedes, quos tergit: quod nos quoque plene agimus, si studiosè diligimus, quos ex largitate continemus: ne gravis nobis sit necessitas proximi: ne ipsa nobis ejus indigentia, quæ sustentatur, fiat onerosa: &

S

cum

cum manus necessaria tribuit, animus à dilectione torpescat.

R. Tempus est ut revertar ad eum, qui misit me: * Vos autem benedicite Deum, & enarrate omnia mirabilia ejus. **V.** Confitemini ei coram omnibus viventibus, quia fecit vobiscum misericordiam suam. Vos autem. Gloria Patri. Vos.

Ad Benedictus, Antiphona.

Mulier quæ eratin civitate peccatrix, stans retro secus pedes Domini, lacrymis cepit rigare pedes ejus, & capillis capitis sui tergebatur, & deosculabatur pedes ejus, & unguento ungebat.

Deinde dicuntur Preces, ut in Psalterio. 44.

Oratio.

Pæsta, quæsumus omnipotens Deus: ut observationes sacras annua devotione recolentes, & corpore tibi placeamus, & mente. Per Dominum nostrum.

Et dicitur per Horas diei tantum.

In Vesperis, nisi fiat de Festo novem Lectionum, dicuntur Preces feriales, 98, & Oratio Dominicæ præterite.

**SABBATO
Quatuor Temporum.**

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio j.

Cap. 13.

In illo tempore: Dicebat Jesus turbis hanc similitudinem: Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, & venit quærens fructum in illa, & non invenit. Et reliqua.

Homilia Sancti Gregorii Papæ.

Homilia 31. in Evangelia.

Dominus ac Redemptor noster per Evangelium suum aliquando verbis, aliquando rebus loquitur: aliquando aliud verbis, atque aliud rebus: aliquando autem hoc verbis, quod rebus. Duas etenim res ex Evangelio fratres audistis: ficulneam infructuosam, & mulierem curvam: &

utrique rei est pietas impensa. Illud autem dixit per similitudinem: istud egit per exhibitionem. Sed hoc significat ficulnea infructuosa, quod mulier inclinata: & hoc ficulnea reservata, quod mulier erecta.

R. Tribulationes civitatum audivimus, quas passæ sunt, & defecimus: timor & hebetudo mentis cecidit super nos, & super liberos nostros: ipsi montes nolunt recipere fugam nostram: * Domine miserere. **V.** Peccavimus cum patribus nostris, injuste egimus, iniquitatem fecimus. Domine.

Lectio ij.

Quid arbor fici, nisi humanam naturam designat? Quid mulier inclinata, nisi eandem naturam significando denotat? Quæ & bene plantata est sicut ficus, & bene creata sicut mulier: sed in culpa propria sponte lapsa, neque fructum servat operationis, neque statum rectitudinis. Ad peccatum quippe ex voluntate corruens, quia fructum obedientiæ ferre noluit, statum rectitudinis amisit. Quæ ad Dei similitudinem condita, dum in sua dignitate non persistit, quod plantata vel creata fuerat, servare contempsit. Tertio, dominus vineæ ad ficulneam venit, quia naturam generis humani ante legem, sub lege, sub gratia expectando, admonendo, visitando requisivit.

R. Omni tempore benedic Deum, & pete ab eo ut vias tuas dirigat: * Et in omni tempore consilia tua in ipso permaneant. **V.** Inquire ut facias quia placita sunt illi in veritate, & in tota virtute tua. Et.

Lectio iij.

Venit ante legem, quia per naturalem intellectum quid unusquisque exemplo sui, qualiter erga proximum agere debuisset, innouit. Venit in lege, quia præcipiendo docuit.

cuit. Venit post legem per gratiam, quia pietatis sue præsentiam exhibendo monstravit. Sed tamen in tribus annis fructum se non invenisse conquiritur: quia quorundam pravorum mentes nec inspirata lex naturalis corrigit, nec præcepta erudiunt, nec incarnationis ejus miracula convertunt. Quid vero per cultorem vineæ, nisi præpositorum ordo exprimitur? Qui dum præsent Ecclesiæ, nimirum Dominicæ vineæ curam gerunt.

R. Memor esto fili, quoniam pauperem vitam gerimus: * Habebis multa bona, si timueris Deum. **V.** In mente habeto eum, & cave nequando prætermittas præcepta ejus. Habebis. Gloria Patri. Habebis.

Ad Benedictus Antiphona.

Illuminare Domine iis qui in tenebris sedent, & dirige pedes nostros in viam pacis, Deus Israël.

Deinde dicuntur Preces, ut in Psalterio. 44.

Oratio.

Omnipotens sempiternus Deus, qui per continentiam salutarem, corporibus incedis & mentibus: majesticam tuam supplices exoramus; ut pia jejunantium deprecatione placatus, & præsentia nobis subsidia tribuas, & futura. Per Dominum.

Et dicitur per Horas diei tantum.

SABBATO

Ante Dominicam iv. Septembris.

Ad Magnificat, Antiphona.

Adonai Domine Deus magne & mirabilis, qui dedisti salutem in manu femine, exaudi preces servorum tuorum.

DOMINICA IV.

Septembris.

In primo Nocturno.

Incipit liber Judith.

Lectio j.

Cap. 1. & 2.

Arphaxad itaque rex Medorum, subjugaverat multas gentes imperio suo, & ipse ædificavit civi-

tatem potentissimam, quam appellavit Ecbatanis, ex lapideis quadratis & sectis: fecit muros ejus in altitudinem cubitorum septuaginta, & in latitudinem cubitorum triginta, turres vero ejus posuit in altitudinem cubitorum centum. Per quadrum vero earum latus utrumque vicenorum pedum spatium tendebatur, posuitque portas ejus in altitudinem turrium: & gloriabatur quasi potens in potentia exercitus sui, & in gloria quadrigarum suarum.

R. Adonai Domine Deus magne & mirabilis, qui dedisti salutem in manu femine: * Exaudi preces servorum tuorum. **V.** Benedictus es Domine, qui non derelinquis præsumentes de te, & de sua virtute gloriantes humilias. Exaudi.

Lectio ij.

Anno igitur duodecimo regni sui: Nabuchodonosor rex Assyriorum, qui regnavit in Ninive civitate magna, pugnavit contra Arphaxad, & obtinuit eum in campo magno, qui appellatur Ragau, circa Euphratem, & Tigrin, & Jadason in campo Erioch regis Elicorum. Tunc exaltatum est regnum Nabuchodonosor, & cor ejus elevatum est: & misit ad omnes, qui habitabant in Cilicia, & Damasco, & Libano, & ad gentes quæ sunt in Carmelo, & Cedar, & inhabitantes Galileam in campo magno Esdrelon, & ad omnes qui erant in Samaria, & trans flumen Jordanem usque ad Jerusalem, & omnem terram Jesse quousque perveniatur ad terminos Athiopiarum.

R. Tribulationes civitatum audivimus, quas passæ sunt, & defecimus: timor & hebetudo mentis cecidit super nos, & super liberos nostros: ipsi montes nolunt recipere fugam nostram: * Domine miserere. **V.** Peccavimus cum patribus

nostris, Injuste egimus, iniquitatem fecimus. **Dómine.**

Lectio iij.

AD hos omnes misit nuntios Nabuchodonosor rex Assyriorum: qui omnes uno animo contradixerunt, & remisérunt eos vacuos, & sine honore abjecerunt. Tunc indignatus Nabuchodonosor rex adversus omnem terram illam, juravit per thronum & regnum suum quod defenderet se de omnibus regionibus his. Anno tertiodécimo Nabuchodonosor regis, vigésima & secunda die mensis primi, factum est verbum in domo Nabuchodonosor regis Assyriorum, ut defenderet se. Vocavitque omnes majores natu, omnesque duces, & bellatores suos, & habuit cum eis mysterium consilii sui: dixitque cogitationem suam in eo esse, ut omnem terram suo subjugaret imperio.

R. Benedicat te Dóminus in virtute sua, qui per te ad nihilum redégit inimicos nostros: * Ut non deficiat laus tua de ore hóminum. **V.** Benedictus Dóminus, qui creávit cœlum & terram: quia hodiè nomen tuum ita magnificávit. Ut non. Glória Patri. Ut non.

In secundo Nocturno.

Ex libro S. Ambrósii Episcopi de Elia & jejúno.

Lectio iv.

Potentes vinum prohibentur bibere, ne cum biberint, obliviscantur sapientiam. Denique bibebant vinum in ebrietate potentes, qui Holoferni principi militiæ regis Assyriorum se tradere gestiabant: sed non bibebat femina Judith, jejúnans omnibus diebus viduitatis suæ, præter festorum dierum solemnitates. His armis munita processit, & omnem Assyriorum circumvenit exercitum. Sobrii vigóre consilii abstulit Holofernis caput, servavit ou-

dictiam, victoriam reportavit.

R. Nos alium Deum nescimus præter Dóminum, in quo speramus: * Qui non despicit nos, nec amovet salutem suam a genere nostro. **V.** Indulgentiam ipsius fuis lacrymis postulémus, & humiliémus illi animas nostras, Qui non.

Lectio v.

Hæc enim succincta jejúnio in castris prætendebat alienis ille vino sepultus jacēbat, ut ictum vulneris sentire non posset. Itaque unius mulieris jejúnium innúmeros stravit exercitus Assyriorum. Esther quoque pulchrior facta est jejúnio: Dóminus enim grátiam sobriæ mentis augēbat. Omne genus suum, id est, totum pópulum Judæorum a persecutionis acerbitate liberávit, ita ut regem sibi faceret esse subjectum.

R. Dominátor Dómine cœlorum & terræ, créator aquarum, Rex universæ creaturæ: * Exaudi orationem servorum tuorum. **V.** Tu Dómine, cui humilium semper & mansuetorum placuit deprecatio. Exaudi.

Lectio vi.

Itaque illa, quæ triduo jejúnavit continuo, & corpus suum aqua lavit, plus placuit, & vindictam rétulit: Aman autem, dum se regali jactat convivio, inter ipsa vina prenam suæ ebrietatis exolvit. Est ergo jejúnium reconciliatiónis sacrificium, virtutis incrementum, quod fecit etiam feminas fortióres augmento grátie. Jejúnium nescit fœneratorem, non sortem fœnoris novit: non redolet usuras mensa jejunantium: etiam ipsis jejúnium conviviis dat grátiam. Dulcióres post famen epulæ fiunt, quæ assidue fastidio sunt, & diuturna continuatióne viléscent. Condimentum cibi jejúnium est. Quanto avidior appetentia, tanto esca jucundior.

R. Dómine Deus, qui cœnteris bella

ab

Lectio ij.

ab initio, eleva bráchium tuum super gentes, quæ cogitant servis tuis mala: * Et dextera tua glorificetur in nobis. **V.** Allide virtutem eorum in virtute tua: cadat robur eorum in pacúndia tua. Et dextera. Glória Patri. Et dextera.

R. vij. Conforta me Rex, sanctorum principatum tenens: * Et da sermonem rectum & benè sonantem in os meum. **V.** Dómine Rex universæ potestatis convertè consilium eorum super eos. Et da.

R. vij. Duo Séraphim clamabant alter ad alterum: * Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dóminus Deus Sabaoth: * Plena est omnis terra glória ejus. **V.** Tres sunt qui testimónium dant in celo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres unum sunt, Sanctus. Glória Patri. Plena est.

Feria iv. hujus Hebdomadæ post secundam & tertiam Lectiorem dicitur secundum & tertium Responsorium primi Nocturni Dominica.

FERIA SECUNDA.

De libro Judith.

Lectio j.

Cap. 4.

Filii Israël, qui habitabant in Terra Juda, timuerunt valde à facie Holofernis. Tremor, & horror invásit sensus eorum, ne hoc faceret Jerusalem & templo Dómini, quod fecerat cæteris civitatibus & templis earum. Et miserunt in omnem Samariam per circuitum usque Jéricho, & præoccupaverunt omnes vertices montium: & muris circumderunt vicos suos, & congregaverunt frumenta in præparatióne pugne.

R. Adónai Dómine Deus magne & mirabilis, qui dedisti salutem in manu femine: * Exaudi preces servorum tuorum. **V.** Benedictus es Dómine, qui non derelinquis præsumentes de te, & de sua virtute gloriántes humilias. Exaudi.

Sacerdos etiam Eliachim scripsit ad universos, qui erant contra Esdrelon, quæ est contra faciem campi magni juxta Dóthain, & universos, per quos via transitus esse poterat, ut obtinerent ascensum montium, per quos via esse poterat ad Jerusalem, & illic custodirent ubi angustus iter esse poterat inter montes. Et fecerunt filii Israël secundum quod constituerat eis sacerdos Dómini Eliachim. Et clamavit omnis pópulus ad Dóminum instantiá magná, & humiliáverunt animas suas in jejuniis, & orationibus, ipsi & mulieres eorum. **R.** Tribulationes civitatum audivimus, quas passæ sunt, & defecimus: timor & hebetudo mentis cecidit super nos, & super liberos nostros: ipsi montes nolunt recipere fugam nostram: * Dómine miserere. **V.** Peccávimus cum patribus nostris, injuste egimus, iniquitatem fecimus. **Dómine.**

Lectio iij.

ET induerunt se sacerdotés cilicis, & infantes prostraverunt contra faciem templi Dómini, & altare Dómini opererunt cilicio: & clamaverunt ad Dóminum Deum Israël unanimiter, ne darentur in prædam infantes eorum, & uxóres eorum in divisióne, & civitates eorum in exterminium, & sancta eorum in pollutióne, & fierent opprobrium Géntibus. Tunc Eliachim, sacerdos Dómini magnus, circumvit omnem Israël, allocutisque est eos, dicens: Sciótis quóniam exaudiet Dóminus preces vestras, si manentes permanseritis in jejuniis, & orationibus in conspectu Dómini. **R.** Benedicat te Dóminus in virtute sua, qui per te ad nihilum redégit inimicos nostros: * Ut non deficiat laus tua de ore hóminum. **V.** Bene-

S 3

di-

dictus Dominus, qui creavit cœlum & terram: quia hodie nomen tuum ita magnificavit. Ut. Gloria Patri. Ut.

FERIA TERTIA.

De libro Judith.

Lectio j.

Cap. 8.

ET factum est, cum audisset hæc verba Judith vidua, quæ erat filia Merari, filii Idox, filii Joseph, filii Ozia, filii Elai, filii Jammor, filii Gedeon, filii Raphaim, filii Achitob, filii Melchiz, filii Enan, filii Nathanaz, filii Salathiel, filii Simeon, filii Ruben: & vir ejus fuit Manasses, qui mortuus est in diebus messis hordeæ: instabat enim super alligantes manipulos in campo, & venit aestus super caput ejus, & mortuus est in Bethulia civitate sua, & sepultus est illic cum patribus suis. Erat autem Judith relicta ejus vidua jam annis tribus, & mensibus sex.

R. Nos alium Deum nescimus præter Dominum, in quo speramus: * Qui non despiciet nos, nec amovet salutem suam à genere nostro. **V.** Indulgentiam ipsius fuis lacrymis postulamus, & humiliemus illi animas nostras. Qui non.

Lectio ij.

ET in superioribus domus suæ fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur, & habens super lumbos suos cilicium, jejunabat omnibus diebus vite suæ, præter sabbata, & neomennias, & festa domus Israël. Erat autem elegantis aspectu nimis, cui vir suus reliquerat divitias multas, & familiam copiosam, ac possessiones armentis boum, & gregibus ovium plenas. Et erat hæc in omnibus famosissima, quoniam timebat Dominum valde, nec erat qui loqueretur de illa verbum malum.

R. Dominator Domine cœlorum & terræ, creator aquarum, Rex uni-

versæ creaturæ: * Exaudi orationem servorum tuorum. **V.** Tu Domine, cui humilium semper & mansuetorum placuit deprecatio. Exaudi.

Lectio iij.

HÆc itaque cum audisset, quoniam Ozias promississet quod transacto quinto die traderet civitatem, misit ad presbyteros Chabri, & Charmi. Et venerunt ad illam, & dixit illis: Quod est hoc verbum, in quo consensit Ozias, ut tradat civitatem Assyriis, si intra quinque dies non venerit vobis adiutorium? Et qui estis vos, qui tentatis Dominum?

R. Domine Deus, qui cõteris bella ab initio, eleva brachium tuum super gentes, quæ cogitant servis tuis mala: * Et dextera tua glorificetur in nobis. **V.** Allide virtutem eorum in virtute tua: cadat robur eorum in iracundia tua. Et. Gloria Patri. Et.

FERIA QUARTA.

De libro Judith.

Lectio j.

Cap. 10.

Factum est autem, cum cessasset clamare ad Dominum, surrexit de loco, in quo jacuerat prostrata ad Dominum. Vocavitque abram suam, & descendens in domum suam, abstulit à se cilicium, & exiit se vestimentis viduitatis suæ, & lavit corpus suum, & unxit se myro optimo, & discriminavit crinem capitis sui, & imposuit mitram super caput suum, & induit se vestimentis jucunditatis suæ, induitque sandalia pedibus suis, assumpsitque dextraliola, & lilia, & in aureas, & annulos, & omnibus ornamentis suis ornavit se. Cui etiam Dominus contulit splendorem.

R. Confôrta me Rex Sanctorum principatum tenens: * Et da sermonem rectum, & bene sonantem in os meum. **V.** Domine Rex univversæ potestatis, convertè consilium eorum super eos. Et da.

Le-

Lectio ij.

Factum est autem, cum descenderet montem, circa ortum diei, occurrerunt ei exploratores Assyriorum, & tenuerunt eam, dicentes: Undè venis? aut quò vadis? Quæ respondit: Filia sum Hebræorum, ideo ego fugi à facie eorum, quoniam futurum agnovi, quòd dentur vobis in depradationem, pro eo quòd contemnentes vos, noluerint ultrò tradere seipos, ut invenirent misericordiam in conspectu vestro.

R. Tribulationes civitatum audivimus, quas passa sunt, & defecimus: timor & hebetudo mentis cecidit super nos, & super liberos nostros: ipsi montes nolunt recipere fugam nostram: * Domine miserere. **V.** Peccavimus cum patribus nostris, iniuste egimus, iniquitatem fecimus. Domine.

Lectio iij.

Duxeruntque illam ad tabernaculum Holofèrnis, annuntiantes eam. Cumque intrasset ante faciem ejus, statim captus est in suis oculis Holofèrnes. Dixeruntque ad eum satellites ejus: Quis contemnat populum Hebræorum, qui tam decoras mulieres habent, ut non pro his merito pugnare contra eos debeamus? Videns itaque Judith Holofèrnes sedentem in conopeo, quod erat ex purpura, & auro, & smaragdo, & lapidibus pretiosis intextum: & cum in faciem ejus intendisset, adoravit eum, prosternens se super terram.

R. Benedicat te Dominus in virtute sua, qui per te ad nihilum redègit inimicos nostros: * Ut non deficiat laus tua de ore hominum. **V.** Benedicte Dominus, qui creavit cœlum & terram: quia hodie nomen tuum ita magnificavit. Ut non deficiat. Gloria Patri. Ut non.

FERIA QUINTA.

Si hæc fuerit ultima Hebdomada Septembris, hac nocte ponitur liber Esther cum sua historia, ut infra in Dominica quinta hujus mensis & legitur de eo etiam duobus sequentibus diebus. Quod si hoc triduo non occurrat FERIA, in qua possint poni Responsoria, eo anno omittuntur.

Si vero non fuerit ultima Hebdomada, leguntur sequentes Lectiones.

De libro Judith.

Lectio j.

Cap. 12. 6

Et factum est in quarto die Holofèrnes fecit cenam servis suis, & dixit ad Vagao eunuchum suum: Vade, & suade Hebræam illam, ut sponte consentiat habitare mecum. Fecit enim apud Assyrios, si femina irrideat virum agendo ut immūnis ab eo transeat. Tunc introivit Vagao ad Judith, & dixit: Non vereatur bona puella introire ad dominum meum, ut honorificetur ante faciem ejus, & manducet cum eo, & bibat vinum in jucunditate. Cui Judith respondit: Quæ ego sum, ut contradicam domino meo?

R. Adonai Domine Deus magnæ & mirabilis, qui dedisti salutem in manu feminæ: * Exaudi preces servorum tuorum. **V.** Benedictus es Domine, qui non derelinquis præsumentes de te, & de sua virtute gloriantes humilias. Exaudi.

Lectio ij.

Cap. 13.

Ut autem serò factum est, festinaverunt servi illius ad hospitia sua, & conclusit Vagao ostia cubiculi, & abiit. Erant autem omnes fatigati à vino: eratque Judith sola in cubiculo. Porrò Holofèrnes jacebat in lecto, nimia ebrietate sopitus. Dixitque Judith puellæ suæ ut staret foris ante cubiculum, & observaret. Stetitque Judith ante lectum, orans cum lacrymis, & labiorum motu in silentio, dicens: Con-

firma me Dómine Deus Israël, & respice in hac hora ad ópera manuum mearum, ut, sicut promissisti, Jerusalem civitatem tuam erigas: & hoc quod credens per te posse fieri cogitavi, perficiam.

R. Tribulationes civitatum audivimus, quas passæ sunt, & defecimus: timor & hebetudo mentis cecidit super nos, & super liberos nostros: ipsi montes nolunt recipere fugam nostram: **D**ómine miserere. **V.** Pecavimus cum patribus nostris, in iustis egimus, iniquitatem fecimus. Domine.

Lectio ij.

ET cum hæc dixisset, accessit ad columnam, quæ erat ad caput seculi ejus, & pugionem ejus, qui in ea ligatus pendebat, exolvit. Cumque evaginasset illum, apprehendit comam capitis ejus, & ait: Confirmata me Dómine Deus in hac hora. Et percussit bis in cervicem ejus, & abscidit caput ejus: & abstulit conopæum ejus à columnis, & evolvit corpus ejus truncum. Et post vulnere exivit, & tradidit caput Holofernis ancillæ suæ, & jussit ut mitteret illud in peram suam.

R. Benedicat te Dóminus in virtute sua, qui per te ad nihilum redégit inimicos nostros: **U**t non deficiat laus tua de ore hominum. **V.** Benedictus Dóminus, qui creávit cælum & terram: quia hodiè nomen tuum ita magnificávit. Ut non. Glória Patri. Et non.

FERIA SEXTA.

De libro Judith.

Lectio j.

Umque omnis exercitus decolatum Holofernem audisset, fugit mens & consilium ab eis, & solo tremore & metu agitati, fugæ præsidium sumunt, ita ut nullus loqueretur cum próximo suo, sed inclinato capite, relictis omnibus, eva-

dere festinabant Hebræos, quos armatos super se venire audiebant, fugientes per vias camporum & semitas collium. Videntes itaque illi Israël fugientes, secuti sunt illos. Descenderuntque clangentes tubis, & ululantes post ipsos.

R. Nos alium Deum nescimus præter Dominum, in quo speramus: **Q**ui non despicit nos, nec amovet salutem suam à genere nostro. **V.** Indulgentiam ipsius fuis lacrymis postulémus, & humiliémus illi animas nostras. Qui non.

Lectio ij.

Misit itaque Ozias nuntios per omnes civitates & regiones Israël. Omnis itaque regio, omnisque urbs electam juventutem armatam misit post eos, & persecuti sunt eos in ore gladii, quosque pervenirent ad extremitatem finium suorum. Reliqui autem, qui erant in Bethulia, ingressi sunt castra Assyriorum, & prædam, quam fugientes Assyrii reliquerant, abstulerunt, & onustati sunt valde.

R. Dominator Dómine cælorum & terræ, creator aquarum, Rex universæ creaturæ: **E**xaudi orationem servorum tuorum. **V.** Tu Dómine, cui humilium semper & mansuetorum placuit deprecatio. Exaudi.

Lectio iij.

Joachim autem summus Pontifex, de Jerusalem venit in Bethuliam cum universis presbyteris suis, ut videret Judith. Quæ cum exisset ad illum, benedixerunt eam omnes una voce, dicentes: Tu glória Jerusalem, tu lætitia Israël, tu honorificientia populi nostri: quia fecisti viriliter, & confortatum est cor tuum, eò quod castitatem amaveris, & post virum tuum alterum nescieris: ideò & manus Dómini confortavit te, & ideò eris benedicta in ætérnum. Et dixit omnis populus: Fiat, fiat.

R.

R. Dómine Deus, qui cónteris bella ab initio, eleva brachium tuum super gentes, quæ cogitant servis tuis mala: **E**t dextera tua glorificetur in nobis. **V.** Allide virtutem eorum in virtute tua: cadat robur eorum in iracundia tua. Et. Glória Patri. Et.

S A B B A T O.

De libro Judith.

Lectio j.

ET factum est post hæc, omnis populus post victoriam venit in Jerusalem adorare Dóminum: & mox ut purificati sunt, obtulerunt omnes holocausta, & vota, & repositiones suas. Porrò Judith universa vas bellica Holofernis, quæ dedit illi populus, & conopæum, quod ipsa susulerat de cubili ipsius, obtulit in anathema oblivioni.

R. Conforta me Rex, Sanctorum principatum tenens: **E**t da sermonem rectum, & benè sonantem in os meum. **V.** Dómine Rex universæ potestatis, convertè consilium eorum super eos. Et da sermonem.

Lectio ij.

ERat autem populus jucundus secundum faciè sanctorum, & per tres menses gaudium hujus victoriæ celebratum est cum Judith. Post dies autem illos unusquisque rediit in domum suam, & Judith magna facta est in Bethulia, & præclarius erat universæ terræ Israël. Erat etiam virtuti castitas adjuncta, ita ut non cognosceret virum omnibus diebus vitæ suæ, ex quo defunctus est Manasses vir ejus. Erat autem diebus festis procedens cum magna glória.

R. Tribulationes civitatum audivimus, quas passæ sunt, & defecimus: timor & hebetudo mentis cecidit super nos, & super liberos nostros: ipsi montes nolunt recipere fugam nostram: **D**omine miserere. **V.** Pecavimus cum patribus nostris, in iustis

egimus, iniquitatem fecimus. Dómine miserere.

Lectio iij.

Mansit autem in domo viri sui annos centum quinque, & dimisit abram suam liberam, & defuncta est, ac sepulta cum viro suo in Bethulia. Luxitque illam omnis populus diebus septem. In omni autem spatio vitæ ejus non fuit qui perturbaret Israël, & post mortem ejus annis multis. Dies autem victoriæ hujus festivitatis, ab Hebræis in numero sanctorum dierum accipitur, & colitur à Judæis ex illo tempore usque in præsentem diem.

R. Benedicat te Dóminus in virtute sua, qui per te ad nihilum redégit inimicos nostros: **U**t non deficiat laus tua de ore hominum. **V.** Benedictus Dóminus, qui creávit cælum & terram: quia hodiè nomen tuum ita magnificávit. Ut non. Glória Patri. Ut non.

S A B B A T O.

Ante Dominicam v. Septembris.

Ad Magnificam, Antiphona.

Dómine Rex omnipotens, in ditone tua cuncta sunt posita, & non est qui possit tua resistere voluntati.

DOMINICA V.

Septembris.

In primo Nocturno.

Incipit liber Esther.

Lectio j.

Cap. i.

In diebus Assuéri, qui regnavit ab India usque Æthiopiã super centum viginti septem provincias: quando sedit in solio regni sui, Susan civitas regni ejus exordium fuit. Tertio igitur anno imperii sui fecit grande convivium cunctis principibus, & pueris suis, fortissimis Persarum, & Medorum inclytis, & præfectis provinciarum coram se, ut ostenderet divitias gloriæ regni sui, ac magnitudinem, atque jactantiam potestatis suæ, multo tem-

tèmpore, centum videlicet & octoginta diebus.

R. Dómine mi Rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt pòsita, & non est qui possit resistere voluntati tue: * Libera nos propter nomen tuum.

V. Exaudi orationem nostram, & convertè luctum nostrum in gaudium. Libera nos.

Lectio ij.

Cumque inaperentur dies convivii, invitavit omnem populum, qui inventus est in Susa, à maximo usque ad minimum: & iussit septem diebus convivium preparari in vestibulo horti, & nemoris, quod regio cultu & manu consuetum erat. Et pendebant ex omni parte tentoria aerei coloris, & carbasini ac hyacinthini, sustentata funibus bysiniis, atque purpureis, qui eburneis circulis inserti erant, & columnis marmoreis fulciebantur. Lectuli quoque aurei & argentei, super pavimentum smaragdino & pario stratum lapide, dispositi erant: quod mira varietate pictura decorabatur.

R. Conforta me Rex, Sanctorum principatum tenens: * Et da sermōnem rectum, & benè sonantem in os meum. **V.** Dómine Rex univèrsæ potestatis, convertè consilium eorum super eos. Et da sermōnem.

Lectio iij.

Bibebant autem qui invitati erant aureis poculis, & illis atque illis vasis cibi inferebantur. Vinum quoque, ut magnificentia regis dignum erat, abundans, & præcipuum ponebatur. Nec erat qui nolentes cogeret ad bibendum, sed sicut rex stateret, præponens mensis singulos de principibus suis, ut sumeret unusquisque quod vellet. Vasthi quoque regina fecit convivium femininarum in palatio, ubi rex Assuèrus manere consueverat.

R. Spem in alium numquam habui, præterquam in te Deus Israël: * Qui

irasceris, & propitius eris: & omnia peccata hominum in tribulatione dimittis. **V.** Dómine Deus creator cæli & terræ, respice ad humilitatem nostram. Qui. Glória Patri. Qui.

In secundo Nocturno.

Ex libro Officiorum Sancti Ambrōsii Episcopi.

Lectio iv. Lib. 3. cap. 15.

Quid Esther regina, nonne ut populum suum periculo eriret (quod erat decorum atque honestum) morti se obtulit, nec immitis regis trepidavit furōrem? Ipse quoque rex Persarum ferox atque timido corde, tamen decorum iudicavit, iudici insidiarum, quæ sibi parata forent, gratiam representare, populumque liberum à servitute eripere, ertere neci, nec parcere neci, nique quem secundum à se, ac præcipuum inter omnes amicos haberet, cruci tradidit, quod deonestatum esse ejus fraudulenti consiliis animadvertisset.

R. Meménto mei Dómine Deus in bonum: * Et ne deleas miserationes meas, quas feci in domo Dei mei, & in ceremoniis ejus. **V.** Recordare mei, Dómine Deus meus. Et ne.

Lectio v. Cap. 16.

EA enim amicitia probabilis, quæ honestatem tuetur, præferenda sanè opibus, honoribus, potestatibus; honestati verò præferri non solet, sed honestatem sequi. Qualis fuit Jóathæ, qui pro pietate nec offensam patris, nec salutis periculum refugièbat. Qualis fuit Achimelech, qui pro hospitalis gratiæ officii necem pòtius sibi, quam proditionem fugientis amici, subeunda arbitrabatur. Nihil igitur præferendum honestati: quæ tamen ne amicitie studio prætereat, etiam hoc Scriptura admonet.

R. Tribulationes civitatum audivimus, quas passæ sunt, & defecimus: ti-

timor & habetudo mentis cecidit super nos, & super liberos nostros: ipsi montes nolunt recipere fugam nostram: * Dómine miserere. **V.** Peccavimus cum patribus nostris, injuste egimus, iniquitatem fecimus. Dómine.

Lectio vi.

Sunt enim pleræque Philosophorum quæstiones: Utrum amici causam quisquam contra patriam sentire, necne, debeat, ut amico obediat: Utrum oporteat ut fidem deserat, dum indulget atque intendit amici commoditatibus. Et Scriptura quidem ait: Clava, & gladius, & sagitta ferrata: sic homo est testimonium dans falsum adversus animum suum. Sed considera quid astruat. Non testimonium reprehendit dicitur in amicum, sed falsum testimonium. Quid enim si Dei causa, quid si patriæ, cogatur aliquis dicere testimonium? Numquid præponderare debet amicitia religioni, præponderare charitati vitium.

R. Benedicat te Dóminus in virtute sua, qui per te ad nihilum rediguit inimicos nostros: * Ut non deficiat laus tua de ore hominum. **V.** Benedictus Dóminus, qui creavit cælum & terram: quia hodiè nomen tuum ita magnificavit. Ut non deficiat. Glória Patri. Ut non deficiat.

R. vii. Nos alium Deum nescimus præter Dóminum, in quo speramus: * Qui non despicit nos, nec amovet salutem suam à genere nostro. **V.** Indulgentiam ipsius fuis lacrymis postulamus, & humiliemus illi animas nostras. Qui non despicit.

R. viii. Duo Seraphim clamabant alter ad alterum: * Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dóminus Deus Sabaoth: * Plena est omnis terra glória ejus.

V. Tres sunt qui testimonium dant in celo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres unum sunt. Sanctus. Glória Patri. Plena.

Feria quarta hujus Hebdomade post secundam & tertiam Lectionem dicitur ij. & iij. Responsorium primi Nocturni hujus Dominica.

FERIA SECUNDA.

De libro Esther.

Lectio j.

Cap. 2.

ERat vir Judæus in Susa civitate, vocabulo Mardocheus, filius Jair, filii Semei, filii Cis, de stirpe Jemini, qui translatus fuerat de Jerusalem eo tempore, quo Jechoniam regem Juda Nabuchodonosor rex Babylonis transtulerat, qui fuit nutritius filie fratris sui Edisse, quæ altero nomine vocabatur Esther: & utriusque parentem amiserat: pulchra nimis, & decora facie. Mortuusque patre ejus ac matre, Mardocheus sibi eam adoptavit in filiam.

R. Dómine mi Rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt pòsita, & non est qui possit resistere voluntati tue. * Libera nos propter nomen tuum.

V. Exaudi orationem nostram, & convertè luctum nostrum in gaudium. Libera nos.

Lectio ij.

Cumque percrebuisset regis imperium, & juxta mandatum illius multæ pulchræ virginis adducerentur Susa, & Egæo traderentur eunuchis: Esther quoque inter cæteras puellas ei tradita est, ut servaretur in número feminarum. Quæ placuit ei, & invenit gratiam in conspectu illius. Et præcepit eunicho, ut acceleraret mundum muliebrem, & traderet ei partes suas, & septem puellas speciosissimas de domo regis, & tam ipsam, quam pedisequas ejus ornaret atque excoleret. Quæ noluit indicare ei populum & patriam suam: Mardocheus enim præceperat ei, ut de hac re omnino reticeret: qui deambulabat quotidie ante vestibulum domus, in qua electæ virginis servabantur, curam agens salutis Esther.

R.

R. Conforta me Rex. Sanctorum principatum tenens: Et da sermonem rectum, & bene sonantem in os meum. **V.** Domine Rex universae potestatis, converte consilium eorum super eos. Et da.

LECTIO IJ.

EVoluto autem tempore per ordinem, instabat dies, quo Esther filia Abihail fratris Mardochei, quam sibi adoptaverat in filiam debere intrare ad regem. Quae non quaesivit muliebrem cultum, sed quae cumque voluit Egēs eunuchus custos virginum, haec ei ad ornatum dedit. Erat enim formosa valde, & incredibili pulchritudine, omnium oculis gratiosa & amabilis videbatur. Ducta est itaque ad cubiculum regis Assueri mense decimo, qui vocatur Tebeth, septimo anno regni ejus. Et adamavit eam rex plus quam omnes mulieres, habuitque gratiam & misericordiam coram eo super omnes mulieres, & posuit diadema regni in capite ejus, fecitque eam regnare in loco Vasthi.

R. Spem in alium nunquam habui praeterquam in te Deus Israel: Qui irasceris, & propitius eris: & omnia peccata hominum in tribulatione dimittis. **V.** Domine Deus creator caeli & terrae, respice ad humilitatem nostram. Qui irasceris. Gloria Patri. Qui irasceris.

FERIA TERTIA.

De libro Esther.

LECTIO I.

Post haec rex Assuerus exaltavit Aman filium Amadathi, qui erat de stirpe Agag: & posuit solium ejus super omnes principes, quos habebat. Cunctorum servi regis, qui in foribus palatii versabantur, flectebant genua, & adorabant Aman: sic enim praeciperat eis imperator: Solus Mardocheus non flectebat genua, neque adorabat eum. Cui

dixerunt pueri regis, qui ad fores palatii praesidebant: Cur praeter ceteros non observas mandatum regis? **R.** Meminto mei Domine Deus in bonum: Et ne deleas miserationes meas, quas feci in domo Dei mei, & in ceremoniis ejus. **V.** Recordare mei, Domine Deus meus. Et ne.

LECTIO IJ.

Cumque hoc crebrius dicerent, & ille nollet audire, nuntiaverunt Aman: scire cupientes utrum perseveraret in sententia: dixerat enim eis se esse Judaeum. Quod cum audisset Aman, & experimento probasset quod Mardocheus non flecteret tibi genua, nec se adoraret, iratus est valde, & pro nihilo duxit in unum Mardocheum mittere manus suas.

R. Tribulationes civitatum audivimus, quas passae sunt, & defecimus: timor & hebetudo mentis cecidit super nos, & super liberos nostros: ipsi montes nolunt recipere fugam nostram: Domine miserere. **V.** Peccavimus cum patribus nostris, injuste egimus, iniquitatem fecimus. Domine miserere.

LECTIO IJ.

Audierat enim quod esset gentis Judaeae. Magisque voluit omnem Judaeorum, qui erant in regno Assueri, perdere nationem. Mense primo (cujus vocabulum est Nisan) anno duodecimo regni Assueri, missa est sors in urnam, quae Hebraice dicitur Phur, coram Aman, quo die & quo mense gens Judaeorum deberet interfici: & exivit mensis duodecimus, qui vocatur Adar.

R. Benedicat te Dominus in virtute sua, qui per te ad nihilum redegit inimicos nostros: Ut non deficiat laus tua de ore hominum. **V.** Benedicte Dominus, qui creavit caelum & terram: quia hodie nomen tuum ita magnificavit. Ut non. Gloria Patri. Ut non.

FE-

FERIA QUARTA.

De libro Esther.

LECTIO I.

Quae cum audisset Mardocheus scidit vestimenta sua, & indutus est sacco, spargens cinerem capiti: & in platea mediae civitatis voce magna clamabat, ostendens amaritudinem animi sui, & hoc ejulatu usque ad fores palatii graduens. Non enim erat licitum indutum sacco aulam regis intrare. In omnibus quoque provinciis, oppidis, ac locis, ad quae crudelis regis dogma pervenerat, planctus ingens erat apud Judaeos, jejuniū, ululatus, & fletus, sacco & cinere multis pro strato utentibus. Ingressae autem sunt puellae Esther & eunuchi, nuntiaveruntque ei. Quod audiens consternata est: & vestem misit, ut ablato sacco induerent eum: quam accipere noluit. Accitōque Athach eunūcho, quem rex ministrum ei dederat, praecipit ei ut iret ad Mardocheum, & disceret ab eo cur hoc faceret.

R. Nos alium Deum nescimus praeter Dominum, in quo speramus: Qui non despicit nos, nec amove salutem suam a genere nostro. **V.** Indulgentiam ipsius fuis lacrymis postulamus, & humiliemus illi animas nostras. Qui non.

LECTIO IJ.

Egressusque Athach, ivit ad Mardocheum stantem in platea civitatis, ante ostium palatii: qui indicavit ei omnia, quae acciderant, quomodo Aman promississet, ut in thesauros regis pro Judaeorum nece inferret argentum. Exemplar quoque edicti, quod pendebat in Susan, dedit ei, ut reginae ostenderet, & dederet eam, ut intraret ad regem, & preperaretur eum pro populo suo. Regressus Athach, nuntiavit Esther omnia, quae Mardocheus dixerat,

Quae respondit ei, & jussit diceret Mardocho: Omnes servi regis, & cunctae, quae sub ditione ejus sunt, norunt provinciae, quod sive vir, sive mulier, non vocatus, interiorius atrium regis intraverit, absque ulla cunctatione statim interficiatur: nisi forte rex auream virga ad eum tetenderit pro signo clementiae, atque ita possit vivere. Ego igitur quomodo ad regem intrare poterō, quae triginta jam diebus non sum vocata ad eum?

R. Conforta me Rex. Sanctorum principatum tenens: Et da sermonem rectum, & bene sonantem in os meum. **V.** Domine Rex universae potestatis, converte consilium eorum super eos. Et da.

LECTIO IJ.

Quod cum audisset Mardocheus, rursum mandavit Esther, dicens: Ne putes quod animam tuam tantum liberes, quia in domo regis es praecunctis Judaeis: si enim nunc silueris, per aliam occasionem liberabuntur Judaei: & tu, & domus patris tui peribitis. Et quis novit utrum idcirco ad regnum veneris, ut in tali tempore parareris? Rursumque Esther haec Mardochoe verba mandavit: Vade & congrege omnes Judaeos, quos in Susan repereris, & orate pro me. Non comedatis & non bibatis tribus diebus & tribus noctibus: & ego cum ancillis meis similiter jejunabo, & tunc ingrediar ad regem contra legem faciens, non vocata, tradensque me morti, & periculo. Ivit itaque Mardocheus, & fecit omnia, quae ei Esther praeciperat.

R. Spem in alium nunquam habui praeterquam in te Deus Israel: Qui irasceris, & propitius eris: & omnia peccata hominum in tribulatione dimittis. **V.** Domine Deus creator caeli & terrae, respice ad humilitatem nostram. Qui. Gloria Patri. Qui.

FE-

FERIA QUINTA.

De libro Esther.

Lectio j.

Cap. 5.

Die autem tertio induta est Esther regalibus vestimentis, & stetit in atrio domus regie, quod erat interius, contra basilicam regis: at ille sedebat super solium suum in consistorio palatii contra ostium domus. Cumque vidisset Esther reginam stantem, placuit oculis ejus, & extendit contra eam virgam auream, quam tenebat manu. Quae accedens, osculata est summitatem virgæ ejus. Dixitque ad eam rex: Quid vis Esther regina? quæ est petitio tua? etiam si dimidiam partem regni petieris, dabitur tibi. At illa respondit: Si regi placet, obsecro ut venias ad me hodie, & Aman tecum ad convivium, quod paravi. Statimque rex, Vocate, inquit, cito Aman, ut Esther obediat voluntati.

R. Domine mi Rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita, & non est qui possit resistere voluntati tuæ: * Libera nos propter nomen tuum. **V.** Exaudi orationem nostram, & converte luctum nostrum in gaudium. Libera nos.

Lectio ij.

Egressus est itaque illo die Aman lætus & alacer. Cumque vidisset Mardocheum sedentem ante fores palatii, & non solum ante fores rixisse sibi, sed nec motum quidem de loco sessionis suæ, indignatus est valde: & dissimulata ira, reversus in domum suam, convocavit ad se amicos suos, & Zares uxorem suam: & exposuit illis magnitudinem divitiarum suarum, filiarumque turbam, & quantam eum gloria super omnes principes & servos suos rex elevasset. Et post hæc ait: Regina quoque Esther nullum alium vocavit ad convivium cum rege, præter me: apud quem etiam cras cum rege pransurus

solum. Et cum hæc omnia habeam, nihil me habere puto, quamdiu video Mardocheum Judæum sedentem ante fores regias.

R. Conforta me Rex, Sanctorum principatum tenens: * Et da sermonem rectum, & bene sonantem in os meum. **V.** Domine rex universæ potestatis, converte consilium eorum super eos. Et da.

Lectio iij.

Responderuntque ei Zares uxor ejus, & ceteri amici: Jube parari excelsam trabem, habentem altitudinis quinquaginta cubitos, & die mane regi ut appendatur super eam Mardocheus, & sic ibis cum rege lætus ad convivium. Placuit ei consilium, & jussit excelsam parari crucem.

R. Spem in alium numquam habui præterquam in te Deus Israel: * Qui irasceris, & propitius eris: & omnia peccata hominum in tribulatione dimittis. **V.** Domine Deus creator cæli & terræ, respice ad humilitatem nostram. Qui irasceris, Glória Patri. Qui irasceris.

FERIA SEXTA.

De libro Esther.

Lectio j.

Cap. 6.

Noctem illam duxit rex in somnium, jussitque sibi afferri historias & annales priorum temporum. Quæ cum illo præsentem legerentur, ventum est ad illum locum ubi scriptum erat, quomodo nuntiasset Mardocheus insidias Bagathan & Thares eunuchorum, regem Assuærum jugulare cupientium. Quod cum audisset rex, ait: Quid pro hac fide honoris ac præmii Mardocheus consecutus est? Dixérunt ei servi illius ac ministri: Nihil omnino mercedis accepit. Statimque rex, Quis est, inquit, in atrio? Aman quippe interius atrium domus regie intraverat,

ut

ut suggereret regi, & juberet Mardocheum affigi patibulo, quod ei fuerat præparatum. Responderunt pueri: Aman stat in atrio. Dixitque rex: Ingre diatur.

R. Meménto mei Dómine Deus in bonum: * Et ne deleas miseratiónes meas, quas feci in domo Dei mei, & in ceremoniis ejus. **V.** Recordáre mei, Dómine Deus meus. Et ne.

Lectio ij.

Cumque esset ingressus, ait illi: Quid debet fieri viro, quem rex honorare desiderat? Cógitans autem in corde suo Aman, & reputans quod nullum alium rex, nisi se, vellet honorare, respondit: Homo, quem rex honorare cupit, debet indui vestibus regiis, & imponi super equum, qui de sella regis est, & accipere regium diadema super caput suum, & primus de regiis principibus ac tyrannis teneat equum ejus, & per plateam civitatis incedens clamet, & dicat: Sic honorabitur, quemcumque voluerit rex honorare.

R. Tribulationes civitatum audivimus, quas passæ sunt, & defecimus, timor & hebetudo mentis cecidit super nos, & super liberos nostros: ipsi montes nolunt recipere fugam nostram: * Domine miserere. **V.** Peccavimus cum patribus nostris, injusæ egimus, iniquitatem fecimus. Domine miserere.

Lectio iij.

Dixitque ei rex: Festina, & sumpta stola & equo, fac, ut locutus est, Mardocheo Judæo, qui sedet ante fores palatii. Cave, ne quidquam de his, quæ locutus es, prætermittas. Tulit itaque Aman stolam & equum, indutumque Mardocheum in platea civitatis, & impo situm equo præcedebat, atque clamabat: Hoc honore condignus est, quemcumque rex voluerit honorare.

Reversusque est Mardocheus ad januam palatii: & Aman festinavit ire in domum suam, lugens & opero capite: narravitque Zares uxori suæ, & amicis omnia quæ evenissent sibi. **R.** Benedicat te Dóminus in virtute sua, qui per te ad nihilum redégit inimicos nostros: * Ut non deficiat laus tua de ore hominum. **V.** Benedicteus Dóminus, qui creavit cælum & terram: quia hodie nomen tuum ita magnificavit. Ut non. Glória Patri. Ut non.

S A B B A T O.
De libro Esther.

Lectio j.

Cap. 7.

Intravit itaque rex & Aman, ut biberent cum regina. Dixitque ei rex etiam secundâ die, postquam vino incalberat: Quæ est petitio tua Esther ut detur tibi? & quid vis fieri? etiam si dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis. Ad quem illa respondit: Si inveni gratiam in oculis tuis, ô rex, & si tibi placet, dona mihi animam meam, pro qua rogo, & populum meum pro quo obsecro. Traditi enim sumus ego & populus meus, ut conteramur, jugulemur, & pereamus. Atque utinam in servos & famulas venderemur: esset tolerabile malum, & gemens tacere: nunc autem hostis noster est, cujus crudelitas redundat in regem.

R. Nos alium Deum nescimus præter Dóminum, in quo speramus: * Qui non despicit nos, nec amovet salitem suam à genere nostro. **V.** Indulgéntiam ipsius fuis lacrymis postulavimus, & humiliemus illi animas nostras. Qui non.

Lectio ij.

Respondensque rex Assuærus ait: Quis est iste, & cujus potestatis, ut hæc audeat facere? Dixitque Esther: Hostis & inimicus noster pessimus iste est Aman. Quod

11-

ille audiens, illic obstupuit, vultum regis ac reginae ferre non sustinens. Rex autem iratus surrexit, & de loco convivi intravit in hortum arboribus consitum. Aman quoque surrexit ut rogaret Esther reginam pro anima sua, intellexit enim a rege sibi paratum malum.

R. Confórta me Rex, Sanctórum princípátum tenens: * Et da sermónem rectum, & benè sonántem in os meum. **V.** Dómine Rex univérse potestátis, convérte consílium eórum super eos. Et da.

Lectio ij.

Qui cùm revérsus esset de horto nemóribus cónsisto, & intráset convívii locum, réperit Aman super léctulum corruisse, in quo jacébat Esther, & ait: Etiam reginam vult opprimere, me præsentem, in domo mea. Necdum verbum de ore regis exierat, & statim operuérunt faciém ejus. Dixitque Harbóna, unus de eunúchis, qui stabant in ministério regis: En lignum, quod paráverat Mardochæo, qui locútus est pro rege, stat in domo Aman, habens altitudinis quinquaginta cubitos. Cui dixit rex: Appéndite eum in eo. Suspénsus est itaque Aman in patibulo quod paráverat Mardochæo: & regis ira quíevit.

R. Spem in álium numquam hábui, præterquam in te Deus Israël: * Qui irásceris, & propítius eris: & ómnia peccáta hóminum in tribulatióne dimittis. **V.** Dómine Deus creatórum cœli & terræ, respice ad humilitátem nostram. Qui irásceris. Glória Patri. Qui irásceris.

S. A. B. B. A. T. O.
Ante Dominicam primam Octobris.
Ad Magnificat, Antiphona.

Adapériat Dóminus cor vestrum in lege sua, & in præceptis suis, & faciat pacem Dóminus Deus noster.

DOMINICA I.

Octobris.

In primo Nocturno.

Incipit liber primus Machabæorum.

Lectio j. Cap. i.

Et factum est, postquam percussit Alexander Philippi Macedo, qui primus regnavit in Grecia, egressus de terra Cethim, Darium regem Persarum, & Medorum: constituit prælia multa, & obtinuit omnium munitiones, & interfecit reges terræ. Et pertransiit usque ad fines terræ: & accepit spolia multitudinis Gentium: & siluit terra in conspectu ejus. Et congregavit virtutem, & exercitum fortem nimis: & exaltatum est, & elevatum cor ejus: & obtinuit regiones Gentium, & tyrannos: & facti sunt illi in tributum. Et post hæc decidit in lectum, & cognovit quia moreretur. Et vocavit pueros suos nobiles, qui secum erant nutriti à juventute: & divisit illis regnum suum, cùm adhuc viveret.

R. Adapériat Dóminus cor vestrum in lege sua, & in præceptis suis, & faciat pacem in diébus vestris: * Concedat vobis salutem, & redimat vos à malis. **V.** Exaudiat Dóminus oratiónes vestras, & reconciliétur vobis, nec vos désérat in tempore malo. Concedat vobis.

Lectio ij.

Et regnavit Alexander annis duodecim, & mortuus est. Et obtinuerunt pueri ejus regnum, unusquisque in loco suo: & imposuerunt omnes sibi diadematam post mortem ejus, & filii eorum post eos annis multis, & multiplicata sunt mala in terra. Et exiit ex eis radix peccatrix, Antiochus illustris, filius Antiochi regis, qui fuerat Romæ obses: & regnavit in anno centésimo, trigésimo séptimo regni Græcorum.

B.

R. Exaudiat Dóminus oratiónes vestras, & reconciliétur vobis, nec vos désérat in tempore malo, * Dóminus Deus noster. **V.** Det vobis cor ómnibus ut colátis eum, & faciátis ejus voluntatem. Dóminus.

Lectio iij.

In diébus illis exierunt ex Israël filii iniqui, & suaserunt multis, dicentes: Eamus, & disponamus testamentum cum Gentibus, quæ circa nos sunt: quia ex quo recessimus ab eis invenérunt nos multa mala. Et bonus visus est sermo in oculis eorum. Et destinaverunt aliqui de populo, & abierunt ad regem: & dedit illis potestatem ut facerent iustitiam Gentium. Et edificaverunt gymnasium in Jerosolymis secundum leges Nationum. Et fecerunt sibi præputia, & recesserunt à testamento sancto, & juncti sunt Nationibus, & venundati sunt ut facerent malum.

R. Congregati sunt inimici nostri, & gloriántur in virtute sua: cóntere fortitudinem illórum Dómine, & dispérge illos: * Ut cognóscant, quia non est alius qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster. **V.** Dispérge illos in virtute tua, & destrue eos protectores nostros. Dómine. Ut cognóscant. Glória Patri. Ut cognóscant.

In secundo Nocturno.

Ex libro Officiorum S. Ambrósii Episcopi.

Lectio iv. Lib. i. cap. 40.

Fortasse aliquos bélica defixos glória tenet, ut putent solam esse præliarem fortitudinem: & idè me ad ista dellexisse, quia illa nostris deforet. Quàm fortis Jesus Nave, ut uno prælio quinque reges captos sterneret cum populis suis? Deinde cùm adversum Gabaonitas urgeret prælium, & vereretur ne nos impediret victoriam, magnitudine mentis & fidei clamavit: Stet sol!

Pars Æstiva.

& stetit, donec victoria consummaretur. Gédeon in trecentis viris de ingenti populo & acerbò hoste revexit triumphum. Jónathas adolescens virtutem magnam fecit in prælio.

R. Impetum inimicórum ne timeatis: mémoires estote, quomodo salvi facti sunt patres nostri: * Et nunc clamemus in cœlum, & miserere virtutem magnam fecit in Mari rubro. Et nunc.

Lectio v.

Quid de Machabeis loquar? Sed prius de populo dicam patrum: qui cùm essent parati ad repugnandum pro templo Dei, & pro legitimis suis, quòd hostium die lacessiti sabbati, maluérunt vulneribus offerre nuda corpora, quam repugnare, ne violarent sabbatum. Itaque omnes læti se obtulerunt morti. Sed Machabeis considerantes quòd hoc exémplo gens omnis posse perire, sabbato etiam, cùm ipsi in bellum provocarentur,ulti sunt innocentium necem fratrum suorum. Undè postea stimularus rex Antiochus, cùm bellum accenderet per duces suos Lysiam, Nicanorem, Gorgiam, ita cum Orientalibus suis & Assyriis attritus est copiis, ut quadrangula & octo millia in medio campi a tribus millibus prosternerentur.

R. Congregate sunt Gentes in multitudine, ut dimiceret contra nos, & ignoramus quid agere debeamus: * Dómine Deus, ad te sunt oculi nostri, ne pereamus. **V.** Tu scis quæ cogitant in nos: quomodo poterimus subsistere ante faciem illórum, nisi tu adjuves nos? Dómine Deus.

Lectio vj.

Virtutem ducis Judæ Machabæi de uno ejus milite considerate. Namque Eleazarus, cùm supereminens